# AD QVODLIBETARIAM.

## QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XXIIII. NOVEMB.

Magiſtro IOANNE LE MERCIER, Doctore Medico, moderatore prudentiſſimo. 619

*An in Pleuritide præſentius à Phlebotomia, quàm à Catharſi remedium?*

PRIMA & communia morborum internorum remedia duo ſunt; κάθαρσις, φλεβοτομία. Hoc, humorum, qui aut peccant in venis, aut ex his affatim defluunt, proprium accommodatumque remedium eſt, omneſque æquabiliter vacuat. Purgatio verò, cum delectu, id ſolum quod vitioſum eſt, & qualitate peccat; vtrumque ex omnibus corporis partibus. Inter quas thorax, quò partium ad vitam tuendam neceſſariarũ, complexu, nobilior eſt, eò grauioribus morbis eſt opportunior. Facileque cæteros antecellit pleuritis, febris continuitate, acuitate, & doloris acerbitate. Quæ vera & germana ſi fuerit, membranæ coſtis ſubtenſæ inflammatio eſt. Cui ideo pueri, & qui acidum ructant, minimè obnoxij, quique aluum habent lubricam.

PLVRES variæq; cauſæ, & ſępè cõtrariæ, in veræ pleuritidis generatione cõcurrunt. Ex omni enim sãguinis ſpecie procreatur: & vt ab inſolatu, ita & ab Aquilonio flatu; vt ab excandeſcentia, labore, mero, & æſtu, ita & à frigidæ potu. Per humoris ὀργασμὸν ſuperne deorſum, inferne ſurſum: Per excluſionem humoris à parte robuſtiori, in debiliorẽ: Lateris infirmioris in excipiendo oportunitatem: Dolentis deniq; attractionem. Vt enim familiaritas ſubſtantiæ, attractionis naturalis, ſic eiuſdem non naturalis, fuga vacui, calor & dolor in cauſſa ſunt.

LATERALIS morbi Symptomata, alia ſunt communia, vt cerebri, & mentis læſio, quę & in Peripneumonia. Δύσπνοια, quæ à partium thoracicarum: febris continua, quæ à partium nobilium inflammatione eſt inſeparabilis: Alia propria, vt dolor punctorius, qui in Peripneumonia, aut nullus, aut admodum exiguus: in hepatitide grauans & diſtendens eſſe ſolet: Pulſus durus, & ſerratus, qui viſceribus, ac præſertim pulmonibus inflammatîs mollior eſt: ſpiratio, frequens, & exigua, ſed multò facilior, quàm in inflammatione pulmonis: Tuſſis, cruda adhuc phlegmone, ſicca, ſed quæ mox ipſa matureſcente humeſcat. Color autem, ſputi ſanguinis inflammationem committentis qualitatem indicat. Nam ruber & floridus, ſanguinem purum: flauus aut pallidus, bilioſum: albicans, pituoſum: liuidus, aut niger, melancholicum in vitio eſſe declarat.

NEC iſta modo Pathognomonica, ſed & ἐπιγινόμενα conſideranda. Nam vt pleuritis, in qua ſputum ſtatim apparet, morbum breuiat, ſic & quæ ſine ſputo manet, peſſima. Itaque ſi lateralis dolor, neque per ſputa, neque per alui fluorem, purgationem, diætam, aut phlebotomiam quieuerit in ἐμπύημα vertetur. At parum eſt ſputum procedere, niſi liberè, liberaliter, & coctum; & ſpuendo æger proficiat. Vt phrenitides quæ crebrò mutantur, ſic & pleuritides raræ ac deſultoriæ, peſſimæ. Deterior etiam quæ latus dextrum occupat, quàm quæ ſiniſtrum. Iam verò, vt ſecundarij omnes morbi primigenijs ſunt calamitoſiores, ſic & quæ hepatitidi ſuperueniunt pleuritides, funeſtæ: quemadmodum, & quæ foris intrò conuertuntur, ac in pulmonem, aut cerebrum propagantur, aut ſecedunt.

SVA ſponte ſaneſcentes pleuritides, neque mouere, neque turbare oportet, ſed ſinere. At quæ ſua quatuor tẽpora decurſuræ ſunt, hæ, vt fotu litúve diaphoretico, peptico, omninoque chalaſtico; ſic & linctu anacathartico, medicamento cathartico, ſed præſertim phlebotomiâ indigent; quæ, in hoc morbi genere, non modo omnium, ſed ad omnia prętantiſſimum eſt remedium. Nihil ęquè doloris acerbitatem demulcet, febris ardorem mitigat, ſpirandi libertatem poſtliminio reuocat, ſputum maturat, ac promouet. Nec verò ea κατ' ἴξιν tantùm, ſed & ex oppoſito: nec per initia modò, ſed prouecto iam morbo fieri poteſt. At Cathartica ſputorum expectorationem motu contrario prohibent; de inflammata parte nihil detrahunt, ſanas partes colliquant, & profluuij alui, thoracicis morbis valde metuendi periculum inferunt.

*Ergo in pleuritide præſentius à Phlebotomia, quàm à catharſi remedium.* 65

Proponebat Lutetiæ ELIAS BEDA, Parſinus, Anno 1621.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Petrus Girardet.*
*M. Antonius Robin.*
*M. Guillelmus Belet.*



*M. Nicolaus Regnier.*
*M. Gabriel Hardoüin de S. Jacques, Decanus.*
*M. Ioannes Merlet. M. R.*



*M. Guillelmus du Val. M. & P. R.*
*M. Joannes Akakia. M. R.*
*M. Gaſparus Brayer. M. R.*